



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarum Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

De differentia sacramentorum veterum & nouorum. E

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



*Hic non te-  
netur.*

*Hieron. to. 1.  
in medio ep.  
ad rusticum  
monacham.*

*In quibus  
consistit scil.*

*Ad medium  
expositionis  
tituli Psal.  
73. tom. 8.*

militate & obedientia Deo magis placeat, & apud eum mereatur: cuius imperio salutē querit in inferiorib. se, etsi non ab illis sed per illa à Deo. Propter eruditionem etiam instituta sunt, vt per id, quod foris in specie vitibili cernitur, ad inuisibile virtutē quę intus est, cognoscendam mens erudiat. Homo n. qui ante peccatum sine medio Deum videbat, per peccatum a deo hebit, vt nequaquā diuina queat capere, nisi humanis exercitat<sup>9</sup>. Propter exercitationem similiter instituta sunt: quia cum homo ociosus esse non possit, proponitur ei utilis & salubris exercitatio in sacramentis, qua vanam & noxiam declinet occupationem. Non enim facile capitur à tentatore, qui bono vacat exercitio. Vnde Hiero. monet: Semper aliquid operis facito, vt te occupatum diabolus inueniat.

*De triplici genere exercitationis.*

Sunt autem exercitationum tres species. Vna ad ædificationem animæ pertinet: Alia ad corporis fomentum: Alia ad vtriusque subuersionem. Cum igitur absq; sacramentis (quibus non alligauit potentiam suam Deus) homini gratiam donare posset, prædictis de causis sacramenta instituit. Duo autem sunt in quibus sacramentum consistit, scilicet, verba & res: Verba, vt inuocatio Trinitatis: Res, vt aqua, oleum, & huiusmodi.

*De differentia sacramentorum veterum & nouorum.*

Iam videre restat differentiam sacramentorum veterum & nouorum: vt sacramenta vocemus, quæ antiquitus res sacras signabant, vt sacrificia & oblationes, & huiusmodi, Eorum autem differentiam breuiter Augustin. assignat dicens: quia illa promittebant tantum & significabant, hæc autem dant salutem.

*De circumcissione.*

Fuit tamen inter illa sacramenta sacramentum quoddam, scil. circumcissionis, idem conferens remedi-